



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

25. Annuntiatio B. V. Mariæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

licæ Christianæ, pro aversione omnis mali, & supplicii ad Psalmos 7. pœnitentiales confugiamus, eos recitando quàm zelosissimè. Justus est Dominus! Verùm & longânimis, & multùm misericors, si nostram viderit pœnitentiam.

Festum Annuntiationis à S. Gabriele Beatissimæ Virgini Mariæ factæ.

EXHORTATIUNCULA I.

GAudeat filius! hodie enim est dies salutis nostræ! Hodie Incarnatum est Verbum Dei! adeò Deus dilexit hominem, ut suum daret Unigenitum, ut redimeret & salvaret perditum. Quanta ergò non sit nostra cordis innocentia, ne annuntiantem turbemus Angelum? Recederet, si anima deficeret.

Instructio meritoria.

At teneamus, nec dimittamus: Est enim Angelus pacis. Quòd missus sit à SSS. Trinitate in Redemptoris negotium, recitemus Psalmum, cujus initium: *Benedic anima mea Dominum &c.* cum novem Pater & Ave, ac totidem oscu-

li

lis terræ. O diem salutis! recordabor
sui solius.

II.

Hodie Maria fit Mater Dei! si Mater
Dei, ergò & nostra, dilecte fili!
O igitur felices nos! ùt Dei genitrix om-
nia potest: ùt Mater nostra cupit om-
nia nostrùm causâ. Accedamus jam ad
thronum gratiæ! accedamus ad sinum
Mariæ. In Maria invenit captivus re-
demptionem, æger curationem, tristis
consolationem, justus gratiam, peccator
veniam. S. Ephrem.

Instructio meritoria.

Gratulemur Beatissimæ Virgini ad
tantæ Majestatis Titulum: Et coti SSS.
Trinitati gratias agentes recitemus Can-
ticum Ambrosianum: *Te Deum Lau-
damus*. Per diem verò ter visitemus
Altare Mariæ consecratum, Matrem illâ
salutantes Devotionis tesserâ: *Ave Fi-
lia Dei Patris! Ave Mater Dei Filii!
Ave Sponsa Spiritûs Sancti!* Hi tituli
placent Mariæ. O si in ore nostro fre-
quentissimi!

III. Ave

III.

Ave Maria! fili! quid sibi vult hæc salutatio Angelica? En! clavem dedit auream ad Cor Dei. Multa volumus impetrare de manu Divina? clame- mus ad Matrem! salutemus Mariam! fili! ergò nobis non est notum illud D. Bonaventuræ sanctum monitum: *Libenter nos salutat Maria cum gratia, si eam libenter salutamus cum Ave gratia plena.* Insigne monitum! Utamur!

Instructio meritoria.

Festivitas hæc tanta est, quantum negotium salutis æternæ. Ut salutatio ho- dierna resonet in ore omnium, 35. Ave recitemus, vel si omnia venerari cupi- mus Mysteria SS. Rosarii, tria privatim persolvamus soli cum solâ remanentes, & conversantes Maria. Non est nimi- um, quod exhibetur Deiparæ, & cœli- tum, mundique Regina. Utrique S. Bo- naventuræ verba sunt: *Matri Christi omnem, quam potes, exhibe reveren- tiam!*

Fe-